

c Kimchi Rab. Salomon &c.

f Prado, San-ctus, Cornel. Tir.

g Ab anno 3030. ad an. 3420.

h Jerem. 52. 3.

i Ab anno 3380. ad an. 3420. k 4. Reg. 23. 1. & 2. Par. 34. 29.

illis non est unum certumque ejus temporis exordium. Repetunt RR. [e], ab Abimelecho Filio Gedeonis, quanquam periodum interjectam censeant in Samuele, Saule, Davide, & Salomone, quibus rerum potentibus eliminata omnia ab Israele idola; donec Jeroboamo ad solium erecto, una cum illo & idololatria, & periodus iniquitatis rediit; sub annum novum Osee una cum everfo Regno Israel definens. Alii nomine Israelis (f) designatas credunt decem Tribus à Jeroboamo usque ad Oseam, sicut & reliquias Israelitarum ab eo Rege usque ad captam Jerusalem; cum scilicet earundem Tribuum reliquias in unum corpus, nomenque cum Juda, & Benjamin transfivissent. Totum hoc temporis intervallum 390. annorum designant, quam etiam periodum credunt Regni iniquitatis Israel, sive illa in decem Tribubus seorsum agentibus, sive immixtis cum Juda regnaret. Postrema hæc opinio recepta maximè & communis est.

Verùm negocium in ea re, nec planè minimum, facit confusa simul, alioquin à Propheta distincta Israelis, & Juda iniquitas. Sollicitè eam rem cavet Usserius (g), quanquam alioquin ejusdem ferè systematis assertor. Desinit ille totam hæc periodum intra separationem decem Tribuum à reliquis, & annum 23. Nabuchodonosoris, quartum post everfam Jerusalem, cum scilicet Nabuzardanus reliquias Israelitarum, & Judæorum Babylonem transferens, regionem universam desolavit (h). Eundem verò annum postremum statuit periodi annorum 40. iniquitatis Juda, jam inde ab anno 18. Josiæ (i), quo tempore innovatum cum Domino foedus (k), ductè.

Totus prophetiæ contextus in eam nos adducit opinionem, ut credamus, geminas distinctas periodos ultionis è geminis Tribubus exacta ibidem insinuari. Prior hic est enim sensus vocis iniquitas in eodem textu. Et cum Propheta de re futura, nec imminente loquatur, potuit maximè designare captivitatem postremam decem Tribuum, cum nempe Samaria sub Osee Rege expugnata est; sicut & iniquitatis Judæ exordium statuisse potuit à capta Jerusalem sub Sedecia. Inde verò usque ad Regnum Darii Medi in Babylonia 40. circiter annorum est intervallum. Favet Rex ille Judæis; quare non incongruè sub ipso statui potuit exitus expiationis solemnem iniquitatis ejusdem gentis.

A capta verò Samaria sub Salmanassare A. M. 3283. si quis annorum 390. periodum adiciat, conficiet A. M. 3673. insignem victorià Alexandri in Darium, atque obtento ab ipso Asiæ universæ Imperio. Porro hunc eundem annum terminum facile credimus constituendum captivitatis decem Tribuum. Vidimus in superioribus fieri potuisse, ut Cyrus manusisset populos à Nabuchodonosore in captivitatem deductos; nec in invitè credimus, Alexandrum libertatis à se concessisse beneficium non in eos tantum populos, qui intra certi cuiusdam temporis limites in captivitatem adducti fuerant, contigisse, sed ad omnes pa-

riter captivos quoscumque tandem prorogasse; vel saltem non invidios sibi Judæos illos singulari privilegio donasse.

Suffragatur nostræ huic conjecturæ Josephus, narrans Regem illum suscepto restituendi Templi Beli Babylone consilio, milites suos omnes cum populorum ingenti turbâ huic operi impendisse. Soli inter omnes Judæi manum operi admovere recusarunt, vetitum sibi causantes tum externorum Deorum cultum, cum etiam ne aliquid in eam rem molirentur. Rex subito furore inardescens, gravissimè popululum habuit; dein verò æquior factus, quietos illos reliquit, simulque veniam regrediendi in regionem suam concessit. Vix regressi, nihil habuerunt antiquius, quam ut summotis fanis arisque, avitas sedes ab omni Idololatriæ eluvione purgarent (l). Narrat insuper idem Josephus, post captam Tyrum Alexandrum Jerusalem venisse, ubi non levibus beneficiis Judæos profecutus est; nec illud minimum, quod Hebræis Babyloniæ incolentibus, suis legibus vivendi copiam fecerit (m). Hoc autem ab illo præstitum post eam regionem adeptam, pretium victoriæ de Darii relatè, ne ambigimus quidem. Neque ejus libertatis favor solis Judæis deputandus est, cum equè omnes in Babylonia versantes atque in Mediam translatos (n) spectet; que sanè regiones Israelitis decem Tribuum obtigerunt.

Post Alexandrum Magnum, Judæa novis in dies non Israelitarum tantum, sed & Judæorum Transæphratarum, ac per omnes Mundi partes disperforum, (è quibus revocaturum se illos Dominus per Prophetarum oracula promiserat) accessionibus frequentata est. Ptolemæus Philadelphus, si Josepho Antiq. l. 12. c. 2. fides, versione ex Hebræo in Græcum. Legis Judaicæ procuratâ, Judæorum in Ægypto captivorum 120000. soluto à se pretio redempta, in Judæam remisit. Neque munificentissimo Principi satis fuit, ut suum illud beneficium experirentur Hebræi in novissimis tantum Regum Ægypti adversus Syros expeditionibus capti; sed omnes æquè ad id usque temporis captivos liberos pronunciauit. Eam Judæorum liberationem ex Ægypto Prophetæ Zacharias & Osee [o], oraculo non obscure (nec nisi post Machabæos, uti Zacharias satis disertè) prædixerant.

Quamvis autem nostræ hæc opinio singularitatis accusari possit, multum enim à vulgari Interpretum sententiâ recedit; illustres nihilominus nacta est apud Patres simul & Interpretes assertores. Theodoretus (p) non uno in loco persuasum habere se prodit, non infimam decem Tribuum partem è captivitate unâ cum Juda & Benjamin rediisse, quamvis in unum popululum cum Juda coalescentes in eandem pariter appellationem transferint. Nec planè ab ea sententiâ Sanctus, Cornelius à Lapide (q), Grotius [r] ablundunt, sicut & totidem verbis, nec uno in loco, asserit à S. Cyrillo Alexandrino in Osee 1. 11. & in Prologo Zachariæ, Theodoro, & Theophylacto in Osee 3.

DIS.


l Com. Ap. p. 1. pag. 1049.

m Antiq. l. 11. c. ult.

n 4. Reg. 17. 6. & 18. 11. Collocavit eos in Civitatibus Medorum.

o Zacchar. 10. 10. & Osee. 11. 11. Advolabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum & collocabo eos in domibus suis dicit Dominus. Vide Osee 12. 9.

p Theodoret. in Ezech. 4. 6. & in Jerem. 50. 3. q Sanct. & Cornel. in Jerem. 3. 18. & 31. 9. In Ezech. 4. 6. & in Osee 1. 11. r Grot. in Ezech. c. 16. 53.



DISSERTATIO

DE GOG, ET MAGOG ad Ezechielis 38.

Nomina Gog & Magog non in Veteri solum Testamento sed & in Novo innotescunt; illa enim Ezechiel in suis Vaticiniis, illa habet S. Joannes Apoc. 20. 7. Sed utrobique implexa adeo, ut Interpretibus omnibus insolubile enigma videatur. Quòd nodum explicandi ratio aliqua iniretur, Systemata huc usque plura excogitata sunt; alii enim præliis Gog & Magog motas ab Antiocho Epiphane in Judæos persecutiones designari opinati sunt, vel saltem quas Ecclesia Christiana à Paganis, sive Imperium Romanum à Gothis ceterisque Barbaris toleravit, seu Turcharum in Asiæ & Europam excursions, seu tandem Antichristi in Ecclesiam Tyrannidem. Nos, quamquam alioqui harum opinionum assertores eâ qua par est veneratione suspicamus, plura tamen in eorum systematibus incommoda deprehendisse profiteamur, ut neque systemata illa firmioribus nixa conjecturis magis cum verbis prophetæ constare videantur.

Judæi ceterique, qui eos duces sequuntur, Christiani, contendunt nomine Gog designari Scythas ultra montem Caucasum, & Paludem Meotidem, regionem secundum mare Caspium ad Indos usque protensam, tenuentes, quos tandem post 1000. annos Dæmon unâ cum aliis gentibus multis in Sanctos armabit (a). Quod ad primam hujus opinionis partem spectat, nihil est in quo Veteres Gog pro Scythis usurpantes non convenient; quorum sanè opinio huc usque communi suffragio probata est. Josephus Antiquit. l. 1. c. 6. Theodoretus hic, S. Eucherius, Beda aliique nonnulli ad Gen. 10. 2. autumarunt, frustra alibi quàm inter Scythas & Tartaros Gog querendum. Quod verò ad Regnum 1000. annorum, à bellis Gog & Magog excipiendum, fabella creditur, Judæis tantum & præcis Millenariis non autem à viro quopiam nostræ ætatis rationis compote asserenda.

Quicumque de Antichristo oracula Ezechielis & S. Joannis interpretati sunt (b), hoc sibi commodi præ cæteris habent, quòd cum rerum eventu pugnare oracula illa argui nequaquam possunt. Quid enim in exitu Mundi futurum sit, res est in incerto futurorum proruf delitescens; quare stat illis pro sententiæ suæ maxime Dissert. Calmet. Tom. 1.

mâ atque unicâ ratione, nihil ad hoc usque temporis contigisse, quod ideam omnem Prophetæ expleverit, expectandumque proinde, ut in exitu Mundi congrua dictis Prophetiis fides respondeat.

Sed hæc levia videntur cæteris nomine Gog designatum autumantibus Antiochum Epiphane seu Gothos, sive Turchas; illis enim impleta ad literam Oraculorum fides sive ante, sive post Jesum Christum, sed ante Antichristum quidem, demonstranda suscipitur. Fatentur tamen illi calamitates Judæorum, sive Ecclesiæ, imagine quadam expressâ designare mala ab Ecclesia & Fidelibus sub Antichristo subeunda, quæ præ oculis habuisse potissimum S. Joannes videtur.

Romani (c) in Ecclesiam equè & in Synagogam gladium exeruerunt, sed planè dissimili in utriusque successu. Judæi persecutione tandem oppressi, nunquam se ab inducta olim calamitate relevarunt; Ecclesia verò Christiana, virtute quadam superiori & Divinâ invalescens, erectâ semper tervere non jugum tantum recusat, sed & persecutoribus tandem suis impotuit, & quos olim habebat adversarios, filios tandem mörigeros reddidit. Gothi (d) ceterique Septentrionales populi armorum suorum terrore olim & Ecclesiam & Imperium Romanum confestnarunt. Sed cum Oraculi prophetici series univerfa conserenda cum illis atque causatis ab ipsis in variis Europæ & Asiæ regionibus malis suscipitur, arduum id faceffit aggredientibus negocium, quòd ad detortas plurimas interpretationes inducit.

Sytema magis constans magisque ad literam & communi probatum videtur, quod Ezechielis Oracula de Antiocho Epiphane usurpanda defendit (*). Sed quatuor nec sanè parum ardua illi obijciuntur: I. Gog lethali vulnere percussum in montibus Judææ interiisse (d). 2. Ad Orientalem maris plagam sepultum jacuisse [e], nec alibi quam in terra Israel (f). 3. Ejus exercitum Duce extincto solum penitus dispersumque, versis in se armis mutuis vulneribus sese confecisse (g). 4. Denique Israelitas collectis spoliis, arma eorum pluribus succedentibus annis cremasse (h). Quintum aliud addendum videtur, Gog nempe non nisi consilium diripiendæ regionis Israeliticæ cepisse, adjectis minis (i), nihil tamen unquam.

F f f 2 ab

c Vide Euf. Præp. Evang. l. 9.

† Ambros. l. 2. De Fide. l. 14. c. 2. orib.

* Sanct. Peter. Corn. Polan. Hulsius. d Ezech. 38. 21. 22. & 39. 4. 5. e Ezech. 39. 11. f Ibid. 14. 15. 16. g Ezech. 38. 21. 22. h Ezech. 39. 9. 10. i Ibid. 38. 11. 12. 13.

ab eo executioni mandatum. Antiochus verò & Templum diripuit & regionem universam foedissimè habuit. Diem autem clausisse cum in Tabes urbe Persidis Transuephratæ ageret, tam scitum est quàm quid aliud (k). Post ejus mortem Philippus frater ejus collactaneus, cujus tutelæ & Regnum & filium suum Epatorum Antiochus commiserat [l], copias in Syriam duxit, quò Lysiam commissi sibi muneris usurpatorem deiceret (m). Profratris Judæorum rebus nihil commodi Antiochi Epiphani obitus contulit; namque Eupator ejus filius, & Lysias Regni Administrator armis semper & tyrannide & oppressionibus graves illis infiterunt. Nec Epiphani morte aliquid sive ejus exercitibus incommodi accidit, sive Israelitæ relatis de illo spoliis nunquam triumphum egerunt.

Nec me latet, singula hæc de victoriis Judææ Macchabæi ejusque fratrum variis occasionibus de Syris relatis exponi; sed hæc contra fidem, quantum intelligo, Prophetæ, unum aliquod prælium designantis, cui Gog ipse interfuit, atque ipse vicissim totusque exercitus deletus est, absque eo quòd nullus ex adverso Dux sive exercitus Israeliticus duceretur; ejus enim delendi in causa fuit prodigium aliquod cælestè, nullo ex hominibus auxilio petito. Deus enim ingentem hunc & variis constantem gentibus exercitum in se committens, id egit, ut mutuis cædibus milites deleterent. Nihil simile in obitum Antiochi, cujus etiam Regis cadaver illatum videtur in tumultum patrum suorum Antiochiæ, funus deducente, cadavere prius aromatibus curato, ipso Philippo Regni administratore ab Antiocho relicto, uti legitur 2. Macchab. 9. 29.

Verùm non satis reputandum est, vulgaria systemata suspitionis arguisse; conandum insuper, ut aliud invehatur ex historia petitum, quod omnem simul exhibeat ideam prælii, atque dissipati exercitus Gog, quemadmodum apud Prophetam legitur. Quarendum est itaque Princeps aliquis potens, è septentrione deductus (n), cum florentissimo exercitu è variis collecto populis, nempe è Magog, Ros, Mosoch, Thubal, Persis, Cuschim, Phut, Gomer, Thogorma, Seba, Dedan, & Tharsis (o); Princeps sui impos, atque Judæis infestissimus, ipsorum regionis diripiendæ consilio, explendæ suæ, & foederatorum sibi populorum avaritiæ exercitum adducens (p); Princeps tandem Prophetarum oraculis prædictus [q], percussus, necque traditus in montibus Israelis (r), in orientali plagâ maris mediterranei sepultus (s); cujus exercitus igne cælitus demisso exterminaretur; milites enecti notum habeant (t) in Judæa (u) sepulchrum; quorum deinde spolia Israelitas ditaverint; ossa verò collecta simulque cremata longioris temporis negocium Israelitis fuerint [x]. Hæc omnia expeditionem aliquam planè in historia illustrem describunt.

Neque ejus rei vetustas aded remota.

est, ut cognitionem omnes refugiat; potuit enim ante solutam captivitatē contigisse, cum tamquam de re futura agat Ezechiel 38. In novissimo annorum venies ad terram; quæ reversa est à gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti jugiter. Neque recentior esse potest Macchabæi historia, cum res Judæorum post eam ætatem aded in lucem expositæ sint, ut vix ac ne vix quidem tam memorabile factum sive late-re sive oblivione sepeliri potuisset.

Nullum igitur aliud temporis interval-lum aptius huic rei deputari posse arbitror, quam ex captivitate ad usque Macchabæos spatium. Res Judæorum ejus temporis latent in obscuro, cum pauca admodum apud Autores Sacros legantur, & nulla apud Historicos prophanos; despicatissimam gentem, Regibus Persidis sub-jectam negligentes: Dum Assyrios penes Me-dosque & Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium, ait Tacitus hist. l. 5. Por-rò in Cambysem ea omnia quadrant, quæ de Gog apud Prophetam memorantur.

Erat enim Princeps violentus, savus, & si quis alius, impotentissimus; nihil in hi-storia illius frequentius, quàm crudelitate & sævitia factum aliquod memorabile (y). Ejus impietatis, impotentia, & avaritiæ monumenta sexcenta in Scriptis Ve-terum exhibentur. Nec savus in alios, æquior fuit Princeps in Judæos, quos in libertatem per Cyrum patrem suum asser-tos, facultate illis concessâ ædificandi Tem-pli Domini interdixit. Pronas ille aures de-derat adversariis nominis Judaici infestis-simis, qui creandæ in populum apud Regem invidia nihil fecerant reliqui (z). Valido exercitu comparato, Ægypticam expedi-tionem suscepit; eas omnes gentes, quas supra deduximus, subjectas habens, omnes pariter sub signis habuisse credendus est; pro recepta eorum temporum consue-tudine, ut gentes ad alicujus Principis di-tionem pertinentes, Regi expeditionem aliquam suscipienti arma conjungerent. Porro ille ex Ægypto in Judæam redux, contracto dum equum ascenderet vulnere, Ecbatanis in montibus Carmeli occu-buit (a).

Temporum seriem satis exactè sequutus Prophetæ videtur; namque captam prius Jerusalem describit, deinde Babylonicam captivitatē, ac tandem Tyri, Ægypti, & finitimarum Judææ gentium desolatio-nem. Excipit hæc omnia eversio Imperii Chaldæorum, & soluta Judæorum capti-vitas (b). Cum partâ ex ea requiete Ju-dæi fructuri viderentur (c), nondum ta-men plenè constituto Reipublicæ statu, nec munitionibus reparatis; Gog copias suas turbandis eorum rebus adduxit, extrema minitatus, nisi Dei manus promptè accu-rrens terribilem hostem prostrasset, percuf-so in montibus Israel tyranno, ejusque exercitu deleto (d).

Post memorabile illud & insigne factum Orbem universum admiratione percellens, Deus perfectam libertatem facturum se, Judæis pollicetur, reductoque in regionem suam

k Polyb. l. 31. in excerpt. Valsi etc.
l 1. Macc. 6. 14. 15.
m 1. Macc. 6. 55. 56.

n Ezech. 38. 15. Venies de loco tuo à la-teribus Aquilonis, tu & populi multi tecum.
o Ibid. ver. 2. 3. 4. 5. 6. 13.
p Ibid. 9. 10. 11. 12.
q Ibid. ver. 17. Tu ille es, de quo lo-quitur sum in diebus anti-quis, in manu servorum meo-rum Prophe-tarum.
r Ibid. 39. 2. 3. 4.
s Ibid. ver. 11. 1 Ezech. 39. 11. 15. 16.
u Ibid. ver. 11. 12. 14. 15.
x Ezechiel. 38.

y Vide Herod. Diodor. & Ulf-fer. ad A. M. 3479. 3480. 3481.

z Vide 1. Esdr. 4.

a Herod. l. 3.

b Cap. 35. & 37.
c Cap. 38. 8. 9. 11. 14.

d Toto cap. 37. & 39. usque ad ver. 25. 26.

e Cap. 39. 26. &c.

f Vide cap. 40. & 41. & 42. &c.

g 1. Esdr. 6. 1. & sequ.

h Vide Justin. l. 1. Herod. l. 1. c. 204. Val-ler. Maxim. l. 9. c. 10.

i Herod. l. 4. c. 83. 85. 86. & sequ.

k Vide Aug. l. 20. de Civit. c. 11. Primas. in Apoc. c. 10. Haymonem, Bedam, Aus-ber. alios plu-res in Apoc. & in hunc locum.

l Ezech. 17. 3. & Habac. 2. 17. Zach. 11. 1. m Isai. 29. 1. Ezech. 43. 15. n Idem 29. 3. o Idem 28. 14. p Idem 31. 3. q 1. Petr. 5. 13.

r 2. Timot. 4. 17. s Ezech. 17. 4. * Ofec. 17. 7. Daniel. 13. 56. Ezech. 16. 3.

t Vide Herod. l. 1. c. 103. l. 4. c. 12. & 7. 10.

u Vide 2. Mac- chab. 4. 47. & Coloss. 3. 11.

x Herod. l. 1. c. 105.

suam universos largis benedictionibus cu-mulaturum (e). Tunc maxime Deus Pro-pheta oculis subiecit schema Templi resti-tuendi, quod sanè excitatum est, postquam turbata Cambylis obitu res composita sunt (f). Darius filius Hytaspis concessa olim Judæis privilegia rata esse jubens, nova insuper maxime ad Templum spectantia plurima adjecit (g).

Atqui Cambyles Persa erat, non Scythæ, nihilque est affinitatis inter eas & Gog ac Magog nomina. Quin nec Scythiam sub-jectam sibi habuisse unquam videtur, in-cujus expeditione Cyrum patrem ipsius obiisse ex Historicis nonnulli asseruerunt (h). Scitum est etiam, Darium filium Hytaspis, qui post illum regnavit, adjicien-dis ditioni suæ Scythiis frustra laborasse (i). Ut quid igitur Ezechiel nomine Gog Cam-bysem designasset?

Sed facile hanc objectionem diluimus. Patrum & Interpretum assensu constat, no-men Gog (k) non peculiare aliquod viri alicujus hic designare; sive id de Scythiis usurpent, sive de Antiocho Epiphane, si-ve de Romanis, sive de Gothis, sive de Turcis, sive de Antichristo. Planè adsciti-tium est, quemadmodum solent omnia in theatro, & tot alia mytica & ænigmatica, non in Libris Sacris & prophetis tan-tummodo, sed etiam apud Orientales fre-quentissima. Ita Jerusalem fornicaria ap-pellatur Ezechiel. 23. 1. 2.; Templum Liba-ni (l); Urbs & Altare, Leo Dei (m); Rex Ægypti, Draco magnus (Crocodilus) (n); Rex Tyri, Cherubin (o); Babylonis Assur (p); Roma, Babylon (q); Nero, Leo [r]; Babylon, Chanaan (s); Israelitæ, Chanaanai (*). Quid Daniel? nonne sub objecta ingentis colossi è quatuor metallis imagine quatuor majora Imperia exhibuit? sicut & post Nabuchodonosorem Reges ex-pressit similitudine quatuor belluarum. Alexandrum Magnum sub hirci figura; Da-rium novissimum Regem sub ariete; An-tiochum Epiphane sub Regis impudici? Quid Jesus Christus in Evangelio? Herodem vulpem appellavit. S. Joannes in Apo-calyphi sub inductis Gog & Magog nomi-nibus persecutores omnes Ecclesiæ suggil-lavit. Cur igitur Ezechiel, Propheta alio-qui stylo ænigmatico familiarissimè præ ce-teris usus, non potuisset Cambysem sub Scythæ nomine designare? Nec sanè alio unquam aptiori Principis illius indoles moreque exprimerentur.

Norant profectò Orientales, non tantum nomen, sed & indolem Scytharum è variis ejus gentis in suas regiones excursionibus (t), quarum funesta adeo relicta erant mo-numenta, ut Scytharum furor in prover-bium abierit (u). Undique occurrebant desolatæ Provincie, direpta Templa, ma-jori etiam religione angusta. Nec ab his malis immunes Judæi, quemadmodum & ceteri per Asiam populi. Spectarunt enim sub ipsis penè oculis suis vastatum Templum Ascalonis (x), invitatoque regionis amœ-nitate barbaros in ipso Judææ sinu, ductâ in Bethlan colonia, confedisisse.

Hujus effertissimæ gentis indolem re-

tulisse Cambyles visus est. In Ægypto enim alta crudelitatis ab ipso impressa vestigia, savusque viventibus insistent, immanior & in mortuos, vel in ipsis tumulis illorum cineres inquietavit. Extractum enim è se-pulchro Amasis Regis Ægypti hostis sui cadaver, (y) turpiter cæsum sedè habuit & inhumaniter. Ductam contra leges so-ritorem suam, deinde saevissimo mortis ge-nere enecavit; nec mitior in Smerdim fra-trem suum, quòd ab illo virtute animi vinci ferret molestissimè. Nec sacrilegas manus à religione abstinent, Numina Ægyptiorum alia macavit, alia Templis di-reptis (z) incendit. Nemo apud illum satis tutus, non amici, non viri consilio-rum maturitate graves, non necessarii, omnes enim æque nullâ judiciali servatâ formâ, nullâ saltem in speciem honestâ causâ adductâ, furore & stultitiâ impos-trucidabat. Cui porro melius, quàm sæ-vissimo Principi Gog vel Scythæ nomen, quadrasset? Scytharum nomine Orientales terrebantur, Cambylis verò horrebant; quem pariter virum mortales universi de-testabantur.

Alter Cambysem designans character ducitur ex amplissimo illo potentissimoque Imperio, deductoque è Septentrione refe-ctissimis instructo copis exercitu. Solemne est in Scriptura Reges Chaldææ & Per-sidis, copias in Judæam deducentes, nim-bi, turbinis, ignis, torrentis, gladii è Septentrione ingruentis nomine designare (a). È Septentrione irrupisse legitur The-glatphalassarum, Sennacheribum, Salma-nassarem, Nabuchodonosorem, Camby-sem; qui postremus Princeps, nec unicus est, nec postremus, qui post Ezechielem è Septentrione eruperit; sed unus tamen ex omnibus Regibus Transuephratæis ho-stibus Israelis, in invisa sibi regione mor-tem appetiit.

Populi in exercitu Gog Regem aliquem Orientis, Persidem, Mesopotamiam, Ara-biam, Regionem Chus & Saba, Arme-niam finitimæque provincias, Cymmerios, ac partem Scytharum subjectas habentem, omnino demonstrant. Insinuant etiam Regem foedere conjunctum cum Saba, De-dan & Tharsis, sub cujus insignibus mili-tarent etiam Græci, vel saltem insula-rum incolæ (b). Magog Scythiam desi-gnat, cujus nomine cum amplissima regio-nis tractus apud Veteres censeretur, nos tamen hic designatos credimus Scythas Isthmum inter, mare Caspium, & Pontum Euxinum contentos; sicut & alios Scythas, citeriores provincias Cambyli subjectas in-colentes; nisi fortè militasse sub ejus in-signibus tanquam mercenarios milites Scy-thas credamus; neque enim ditionem suam ultra Isthmum prorogaverat, vastumque Scytharum tractum ab imperio suo habe-bat alienum.

Ros, Thubal, & Mosoch, quos populos nos ad Gen. 10. inter Armeniam, Colchidem, & Cappadociam constituimus; gentes erant Ezechielis ætate notissimæ, quas negocia-tionis gratiâ Tyrum confluisse unâ cum ceteris plurimis idem Propheta commemo-

y Herodot. l. 3. c. 16. Herod. in excerpt. Valsi. p. 249.

z Herodot. à cap. 34. ad 28.

a Isai. 14. 31. 41. 25. Jerem. 4. 13. 4. 15. Ezech. 1. 24. 7.

b Ezechiel 39. 6.